

nem sub secreto commissam revelare superiori aut alteri, si non possit aliter ejus salutem consuli, quia bonum animæ præponderat bono famæ; item interveniente quinta ex dictis causis, ut si quis secretum sibi commissum non possit servare nisi cum dispendio vitæ et famæ, tunc enim potest is licite tale secretum revelare, quia non censetur se voluisse obligare ad servandum secretum in simili casu tanti sui detrimenti inde secuturi cum præsumatur potius quemque ex ordine charitatis propriam incolumitatem voluisse et velle præferre alienam, ut docent communiter doctores cum Lessio, lib. II, c. 11, dub. 18; Layman, *loc. citat.*, n. 2; Sporer, *loc. citat.*, n. 46.

(17. Generales, provinciales, visitatores, alique religiosorum et religiosarum superiores graviter peccant contra justitiam, si personas, a quibus aliorum defectus corrigendos susceperint, manifestent. *Communis*. Et ratio est, quia certum est, ex conventionem saltem tacita id sibi sub secreto strictissimo esse commissum; tum quia talis revelatio apertissime retrahit subditos a declarandis defectibus necessario corrigendis, quod cedit in maximum et gravissimum detrimentum disciplinæ regularis,

#### SÆCULARIZATIO BONORUM ECCLESIASTICORUM.

(1. Sæcularizationis nomen in tractatibus Westphalicis primitus ortum habuit, illoque usus est orator Gallicus dux de Longueville 1646, 8 Aprilis in collatione cum Protestantibus Monasterii habita. Magis Latine profanationem eam dicendam volunt Protestantes, ut Mauritius in diss. *De sæc.*, c. 2, § 1. Denotat autem translationem honorum ecclesiasticorum ad usus civiles vel sæculares, de qua sola hic quæritur; non enim dubium ullum est, bona ecclesiastica ad alios usus pios æque bonos vel meliores, legitima auctoritate interveniente, ex gravibus causis converti posse: hoc namque casu sæcularizatio non fit, et pia fundatorum intentio non tantum impletur, sed in melius adhuc commutatur.

(2. Hanc autem cum cl. Ludovico Philippo Behlen, in diss. *De causis sæcularizationum illegitimis et legitimis*, § 2, regulam ponimus: « sæcularizationem bonorum ecclesiasticorum injustam et impiam esse. » Quam quidem regulam moratioribus ipsi Protestantes theologi et canonistæ admisere. Satis sit Joannis Hornbek verba recitare in exam. Bullæ Papalis Innocentii X, p. 110, ubi ait: « Ut quis solo magistratus arbitrio bona ecclesiastica aliter vel accipiat, vel impendat, quam in usus finesque ecclesiasticos adversus donationem et donatorum voluntatem, nemo haec usus docuit reformatorem; uti nec, quod bona ecclesiastica sunt juris publici, et quia proteguntur a magistratu, ideo ad usus suos ab eodem ordinari possunt, et fisco suo addici. Quod si ita esset, profecto nec ego, nec alii ecclesiis quidpiam facile legaremus,

et consequenter totius provinciæ et religionis.

(18. Item graviter peccant juxta gravitatem materiæ, et circumstantiarum generales, provinciales, definitores, alique vocales, et secretarii, qui acta et dicta in capitulis definitoriis, aliisque congressibus revelant et aperiunt, et significant amicis cum magno religionis aut religiosorum dispendio, sicuti et illi graviter peccant, qui personis particularibus significant, quos favorabiles et quos adversarios habuerint in ordine ad dignitatem, gradus et officia, ad quæ fuerunt propositi. *Communis*. Et ratio est, quia similia sunt apertissima semina discordiarum et divisionum. Et *Proverb.*, c. VI, n. 19, Dominus detestatur eum, qui seminat inter fratres discordias.

(19. Item graviter peccant regulares omnes utriusque sexus quidquam in religionis detrimentum extra religionem patefacientes, seu aliquid in præjudicium famæ religionis, seu particularis religiosi aut religiosæ manifestantes. Hinc in pluribus religionibus tales manifestationes et patefactiones ponuntur inter peculiaria suos casus reservatos. *Communis*.

(20. Alia ad rem. *Vide verb.* DETRACTIO et verb. LITTERÆ.

quibus non liceret securis esse, quod bona in pios usus a nobis data, iisdem serviant, etc. » Lutherorum theologorum conformem doctrinam adducit Dedekanus, vol. 1, *Consil.*, f. 990.

(3. Sed quoniam Protestantes recentiores, quibuscum agendum nobis potissimum est, jure utroque canonico et civili contempto, ad sacram Scripturam provocant, divinis saltem revelationibus aurem præbeant. Exponit Deus per os Moysis effectus votorum sibi factorum, unum ex parte sui, scilicet quod rem sibi consecratam tanquam propriam, et sanctam acceptare velit, alterum ex parte hominis, ne voto exsoluto homo in pristinos usus rem Deo iraditam convertat. *Omne, quod Domino consecratur, sive homo, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum sanctorum erit Domino. Levit.* xxvii, 28. Majori energia de sacrorum bonorum raptoribus conqueritur Deus *Malach.* iii, 8, ibi: *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? et dixistis: in quo configimus te in decimis et in primitiis. Quæ verba ita vertunt Protestantium editiones: Nunquid rapere debet homo, quæ sunt Dei? quid vos rapitis mea, et dixistis, in quo rapimus tua? in decimis et oblationibus, maledicti estis maledictione, eo quod vos me spoliatis, etc.* Qui ergo res Deo dicatas suis usibus committit, Deum spoliat, Dei jus lædit, injuste prorsus, et impie. Duabus divinis sententiis tragica duorum sacrilegorum et divinæ in illos vindictæ exempla adjungamus, unum Balthasar in ipso vasorum sacrorum abusu, regno vitæque privati; alterum Helio-

dori sacrilegi ministerii pœnas luentis. *Daniel* v, 11; *Machab.* iii. Utrumque notius est, quam ut hic narrari debeat: id unum advertimus; potuisse forte et Balthasarem et Heliodorum, ejusque regem prætextus illos diripiendorum sacrorum bonorum allegare, quos allegant recentiores quidam, et quos infra recensebimus, neque tamen illos divina, gravissimaque pœna immunes mansisse. Innumera addere possemus divinæ vindictæ in direptores sacrorum bonorum exempla ex gentilium et Christianorum historiis; sed tam late grassatur pyrrhonismus, ut vix verbo divino aliqua, historiis fere nulla fides supersit. Interim, cum tamen eadem referant cujusvis populi et religionis sapientes, conscientiæ lectoris relinquimus, an justum timorem prædicta divinæ vindictæ exempla incutere non debeant: an manus a bonis sacris non cohibere illa veterum proverbialia ab ipsis Protestantibus laudata, quibus docemur, bona ecclesiastica direpta non tantum non ditare, sed divinam benedictionem omnem impedire ac consumere bona propria legitime quæsita. Confer Raynaudum, in tract. *Mala e bonis Ecclesiæ male tractatis*, cap. 3 et 6.

(4. Adde jam ipsius juris naturæ principia. Profecto qui ecclesiis bona sua tradiderunt, rerum suarum, sicut nos nostrarum, erant domini; principes autem ecclesiarum fundatores supremo plano rerum donatarum dominio gaudebant; tam hi, quam privati liberam transferendi dominium potestatem habuerunt. Usi sunt isthac potestate in piis donationibus duplici modo, utroque valido, donando inter vivos, quales fuerunt fere omnes traditiones, et relinquendo mortis causa per ultimas voluntates, cujus rei rariora sunt exempla. Transulerunt porro dominium in illos, qui acquisitionis et juris capaces erant, et quidem voluntate maxime seria, quam junctis executionibus perpetuo valituram esse voluerunt, caventes sollicite, ne bona sua ad hæredes etiam proprios aliosve pervenirent, aut aliis quam sacris usibus cederent. Valida ergo et legitima erat bonorum ecclesiasticorum traditio et acquisitio, ac propterea, qui ea acquirebant, jus simul firmissimum in eadem bona acquirebant, tot postea sæculorum possessione roboratum; uti ergo cuique suum dare, et multo magis relinquere primum omnis juris præceptum est, ita ex eodem fluit Regula nostra: relinquenda esse ecclesiasticis bona tanto tempore possessa, nec illa, nisi injuste sæcularizari posse.

(5. Tandem finem et naturam ipsorum bonorum ecclesiasticorum consideremus. Data sunt ecclesiis bona ad impensas cultui divino necessarias, in alimoniam ministrorum, in levamen pauperum, et quidem non tantum præsentium, sed et omni ævo futurorum. Quantumcumque licet mutata sit exterior Ecclesiæ disciplina, eandem naturam adhuc hodie bona ecclesiastica re-

tinent. Ante omnia præripiuntur ex bonis ecclesiasticis, quæ ad cultum divinum, ad reparationem ecclesiarum, etc., necessaria sunt. Licet ministris Ecclesiæ beneficia ac prædia certa assignata sint, simul tamen illis inculcatur: patrimonium pauperum esse, quo vivunt; peccata populi, quæ comedunt, etc., ut proin ea, qua par est, moderatione hisce bonis utantur. Denique bona ecclesiastica superflua pauperibus, aliisque causis piis uno omnium theologorum ac jurisconsultorum ore addicuntur; adeo, ut ministri Ecclesiæ quocumque tempore futuri, ad fundos ecclesiasticos suæ sustentationi destinatos, et pauperes ad debitam sibi portionem, vel saltem Ecclesiæ et communitates pro futuris suis ministris, aut pauperibus jam jus quoddam habere videantur. His ergo sine injustitia et impietate eripi bona illa per sæcularizationem non possunt, qua semel facta, præsentem et futuri Ecclesiæ ministri, ac pauperes perpetuo horum bonorum spe et fruitione excidunt. Illustrem rem hanc comparisonem cum aliquo collegio in republica existente. Ponamus, destinari a collegio redditus certos pro sartis tectis conservandis ædibus collegii, pro salario ministrorum, pro pauperibus e collegio; an sine injustitia bona huic fini dicata ab ipso etiam principe auferri possunt? Nec ergo bona ecclesiastica vel sacræ fidelium societati, qua tali propria, auferri vel sæcularizari poterunt. Atque hoc ipsum publice expedit: quis enim usibus tam laudandis, et ipsi reipublicæ tam utilibus sua bona tanto labore parata, et liberis propriis adempta consecraret, si prævideret, tam parum voluntati suæ satisfacturos fore posteros ingratos? Num majores nostri, si prævidissent, quæ suis bonis Ecclesiæ dicatis fata immineant, tanta prodigalitate se suosque illis privatari faisent? Expedire profecto visum est non episcopis solis, sed a Constantino M. omnibus fere Christianis principibus, varios favores et privilegia talibus piis causis dari, ac quæcumque voluntatem etiam legum solemnitatibus non munitam hic valere. Maneant ergo et inviolatæ majorum nostrorum voluntates piæ et legitime, nec ab iis infringantur, qui proprias ultimas voluntates suas olim sancte servari cupiunt.

(6. Præcipua, qua Protestantes et politici sæcularizationem bonorum ecclesiasticorum cohonestant, causa est, reipublicæ necessitas, aut etiam utilitas. Verum modus huic necessitati ponendus est. Primus ergo: veluti ea non sit, bona ecclesiastica ad usus sacros, Deique cultum necessaria sæcularizari nunquam posse. Secundus est: Bona ecclesiastica licet tantum utilia, ex causa utilitatis etiam veræ, quam respublica experiretur, sæcularizari non posse. Tertius canon, Fieri potest hujusmodi sæcularizatio ex causa necessitatis reipublicæ, vel multorum etiam hominum, si conjuncta illa sit cum causa aut pietatis, ut si famis, pestis, aliisque iniquis temporibus non possit respublica suos alere pauperes, infirmos, etc.,

aut si conjuncta sit cum necessitate vel utilitate Ecclesiæ ac religionis.

7. Ut vero pressæ necessitatibus reipublicæ legitime succurrat Ecclesia, sive parato peculio, sive bonis etiam alienatis et sæcularizatis, conditiones aliquæ requiruntur. Præscribit illas utrumque Lateranense concilium, alterum a. 1179, sub Alexandro III, alterum a. 1215, sub Innocentio III, prohibens, ne ullo modo ex facultatibus ecclesiasticis subveniatur reipublicæ, nisi episcopus et clerus tantam necessitatem aspexerint, ut absque ulla exactione (coactione) ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias existiment conferenda, addendo: ut propter imprudentiam quorundam Romanus Pontifex prius consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. Requiritur itaque primo, ut laicorum non suppetant facultates; si enim reipublica ex his nervum rerum gerendarum sibi comparare possit, bonis ecclesiasticis nondum opus habet, adeoque casus necessitatis bonorum ecclesiasticorum nequaquam adest. Habet nimirum reipublica suum ærarium ferendis communibus oneribus primario destinatum, sicut Ecclesia pariter communia onera ecclesiastica sine concursu reipublicæ ferre debet, ac in hos ecclesiasticos usus destinatum primario ærarium habet. Concedendum igitur Ecclesiæ in nostro casu jure merito beneficium ordinis, ut ad communes necessitates concurrere non teneatur, quandiu alia media supersunt, quandiu scilicet ærarium reipublicæ adhuc est solvendo, et hoc etiam exinanito, quandiu cives onera communia ita ferre possunt, ut plene non exhauriantur. Profecto cum multis nobilium, magistratum, militum, aliisque collegiis privilegium illud competat, ut non nisi in extraordinariis necessitatibus reipublicæ subvenire teneantur, cur Ecclesiæ simile jus invidendum?

8. Secundo non sufficit necessitas vel utilitas quævis reipublicæ. Tanta scilicet requiritur, « ut episcopus existimare possit, conferre ecclesiam sua debere subsidia; » voluntque interpretes, ut necessitas Ecclesiam æque principaliter premat, uti rempublicam; si enim secus contingeret, vera reipublicæ necessitas adesse non videretur, sed tantum quorundam privatorum, nec ulla ratio, cur in bona ecclesiastica involare liceat.

9. Potissimum vero tertio, juxta cit. concilium, auctoritas ecclesiastica adesse debet. Cum enim rerum ecclesiasticarum administratio a primis sæculis separatim clero competierit, hoc jure spoliandus non est, cum insuper justissimum sit ut in re, etiam minimi momenti, altera, cujus interest, pars audiatur. Quid æquius, quam ut audiatur Ecclesia, si illius bona in subsidium petantur? Quid iniquius, quam si princeps subito bonis suis Ecclesiam privaret, ne auscultata quidem ejus exceptione, quod necessitas bona ecclesiastica captandi necdum adsit, etc.? Duo ergo hic vitanda

sunt extrema: Primum: Ne respublica, dum aliæ facultates adhuc suppetunt, vel dum vera non adest necessitas publica, subsidia ecclesiastica requirat, multo minus sine consensu et interventione, ac directione ecclesiastica, vi extorqueat; sed, ut ait concil. Later. « Recipiat absque ulla coactione cum gratiarum actione, » juxta quod constans, ac juri non minus, quam æquitati et praxi subnixæ sententia est, in nullo plane casu laicis competere, ut ipsi quantitatem subsidii ab Ecclesiis præstandi, determinent, aut huic, alterive clerico vel Ecclesiæ, ejusque prædiis suam ratam assignent, sed hanc partitionem ad judicem ecclesiasticum spectare: et sicut ejus solius est, videre num necessitas sufficiens adsit ad præstanda subsidia sacra, ita et illius est, tam determinare quantitatem, quam illam a subjecto clero colligere, et denique semper per modum doni gratuiti in reip. subsidium conferre. Alterum: Ne Ecclesiæ præules, ut regibus placeant, assensum suum nimis facile per indulta, ut vocant, pro levandis decimis aliisque collectis de rebus ecclesiasticis, præbeant; aut econtrario perspecta licet reipublicæ necessitate, qua in re principis, cum hic reipublicæ negotia melius norit, iudicium utique revereri debent, si inquam, agnita reipublicæ necessitate nimium difficiles sint, ac suppetias differant, donec respublica magis periclitetur, aut de illa plane actum sit. Itaque succurrere quidem Ecclesiæ potest, ac debet reipublicæ periclitanti; sed sicut rerum ecclesiasticarum administratores, non minori circumspectione, quam alii administratores rerum reip. aut etiam pupillarum solum officium suum gerere debent, ita non solum in concedendis subsidiis ecclesiasticis, sed multo magis in bonorum ecclesiasticorum alienatione perpetua, et a regulis plane exorbitante, qualis est sæcularizatio, munus illorum est, summa, qua possunt, accuratione perpendere, num revera causæ illæ subsint, quæ legitimæ ac sufficientes sunt.

10. Cæterum nec in theoria, nec in praxi satis convenit, qua ratione auctoritas ecclesiastica accedere debeat, num solius episcopi consensus sufficiat, vel præter deliberationem et consensum episcopi ipsius S. Pontificis consensus requiratur, si agatur de imponendis Ecclesiæ collectis, vel plane bonorum ecclesiasticorum ad illas solvendas necessaria sæcularizatione. Putant equidem aliqui, si vera ipsiusmet Ecclesiæ utilitas vel necessitas juncta sit necessitati reipublicæ, sufficere episcoporum consensum, quorum sententia tunc certe obtinet, quando periculum in mora foret, aut absque gravissimo incommodo recurri non posset ad summum Pontificem. Sed cum verba legis jubeant, « Romanus Pontifex prius consulatur, » et quidem in casu concurrentis utilitatis Ecclesiæ, debeatque supremum Ecclesiæ caput, ac B. E. administratorem tunc informari, quando de ecclesiastica Immunitate vel restringenda, vel violanda agitur, et multo magis, quando bona quædam sacris

usibus in perpetuum eripienda sunt, ideo in regula manemus, ac Pontificis consensum requirimus, si periclitanti reipublicæ suis ex bonis succurrere debeat Ecclesia. Hæc vero pro majori dilucidatione, et propter catholicos quosdam scriptores monuimus.

Legesis, integram Behleni dissertationem

## SEDES VACANS

## SUMMARUM.

1. Nomine sedis vacantis quid intelligatur? — 2. Nomine sedis vacantis intelligitur etiam quælibet abbatia, seu prælatura, aut dignitas inferior, cui facultas conferendi beneficia competit, et per obitum sui respectivi prælati censetur viduata. — 3. Per vacationem intelligitur omnis vacatio sedis, sive per mortem, sive per renuntiationem, translationem, depositionem et quemvis similem modum, per quem titulus amittitur. — 4. Item sedes vacat, si prælatus, seu episcopus sit notorie hæreticus. — 5. An sedes vacet, et capitulum possit procedere ad electionem vicarii capitularis, quando episcopus est excommunicatus vel suspensus, quando est factus captivus, quando est relegatus, quando episcopo in remotis degente, vicarius generalis ab ipso relictus moritur, vel a principe sæculari ejicitur e diocesi: aut est excommunicatus vel suspensus; remissive. — 6. Sedes vacare incipit a die scientiæ mortis certæ et non præsumptæ episcopi seu prælati. Vel a die certæ translationis, resignationis, et hujusmodi. — 7. Quando censeatur vacare sedes per translationem episcopi, remissive. — 8. Sedes semel vacans durat vacare tamdiu, donec litteræ Apostolicæ novi prælati in curia promoti vel confirmati fuerint expeditæ, et capitulo præsentata. — 9. Ante litterarum præsentationem non potest episcopus, seu alius prælatus promotus administrare episcopatum seu prælaturam; neque capitulum seu conventus potest eundem recipere. — 10. Sede Romana vacante, qui tenentur accedere, vel mittere ad curiam, ad id tenentur ac si non vacaret. — 11. Sede Romana vacante, collegium cardinalium non habet auctoritatem Papalem, nisi eam, quam sibi concessit Papa. — 12. Sede Romana vacante, potest collegium cardinalium providere de camerario et penitentiario. — 13. Sede Romana vacante, tempore concilii generalis legitime congregati electio Pontificis spectat ad cardinales et non ad concilium. — 14. Sede Apostolica vacante, summus penitentiarius potest dispensare solummodo in foro conscientiæ. — 15. Sede Apostolica vacante, potest vicarius Papæ facere ordinari suos, aut eis etiam non arctatis dare demissorias. — 16. Sede Apostolica vacante, omnes menses sunt ordinariorum,

1. Nomine sedis vacantis intelligitur potissimum Sedes Papalis seu episcopalis suo viduata pastore. *Communis.* (2. Insuper nomine sedis vacantis intelligitur etiam quælibet abbatia, seu prælatura, aut dignitas inferior, cui facultas conferendi beneficia competit, et per obitum sui respectivi prælati censetur viduata, juxta c. *Ne pro defectu*, 4, De election. Sic Glossa, in cap. 1, verb. *Ecclesia*, De rebus Eccles. non alienand. in 6; Barbosa, lib. III *Decretal.*, tit. 9, nu. 2; Pirrhing, *ibid.*, nu. 2; abbas, in c. *His quæ*, num. 2, De majoritat. et obedient., et alii passim.

(3. Per vacationem autem intelligitur omnis vacatio sedis, sive per mortem, sive per renuntiationem, translationem, depo-

ab Antonio Schmidt, in suo *Thesaurus juris ecclesiastici* recusat t. VI, p. 78 seqq.; P. Ignatium Schwartz, *Collegior. historior.*, n. VII, quæst. 2, sect. 6; et Benedictinum Zallwein, t. III, *Principior. jur. eccl.*, p. 862 seqq.

et tunc episcopi, et ordinarii collatores possunt providere de beneficiis vacantibus in quolibet mense. — 17. Beneficia reservata Papæ vacantia, Sede Romana vacante, a Papa successore sunt conferenda. — 18. Licet beneficia curata vacantia in curia Papæ sint reservata; tamen si vacent Sede Romana vacante, vel si sede plena vacaverint, et ante mortem Papæ non fuerint collata, conferri possunt de jure communi ab episcopo, vel ab aliis ad quos spectat; dummodo non sint de reservatis Papæ alia ratione, quam ob vacantiam in curia. Vide tamen *infra* num. 24. — 19. Beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura sæcularia et regularia qualitercunque qualificata, et ubicunque existentia vacantia sede episcopali vacante, sunt Papæ reservata. — 20. Hæc reservatio beneficiorum vacantium, sede episcopali vacante, procedit, quando ad episcopum spectat electio, nominatio seu præsentatio personæ, quamvis collatio seu institutio ad alium pertineat, seu sit communis episcopi, et aliorum. — 21. Secus autem quando electio, seu nominatio, vel præsentatio ad alium pertinet; tunc enim quamvis collatio et institutio spectet ad episcopum, non intrat hæc reservatio. — 22. Item non procedit hæc reservatio, ubi simultanea ex concordia est divisa per turnos, etc. — 23. Item hæc reservatio non procedit, ubi collatio beneficiorum spectantium alias ad collationem episcopi, sede episcopali vacante, ad aliquem spectet, nec reservatur futuro successori. — 24. Beneficia reservata Papæ quomodolibet, et ex quavis causa, si vacent, sede apostolica vacante, et de iis per quoscunque ordinarios collatores tunc dispositum non fuerit, seu minus valide dispositum fuerit, sunt conferenda a Papa successore. — 25. Sede episcopali vacante, nihil est innovandum, præsertim in præjudicium ipsius ecclesiæ vel prælati successoris. — 26. Unde, sede vacante, iudicium factum contra Ecclesiam est nullum. — 27. Sede episcopali vacante, si mandetur capitulo, ut præbendam alicui conferat, et interim nondum a capitulo executo mandato creatur episcopus, cui spectet collatio præbendæ, ab ipso episcopo debet conferri. — 28. Sede episcopali vacante, quid possit facere capitulum, et quid non? *remissive.* — 29. Alia ad rem ad num. 42.

sitionem, vel quemvis similem modum per quem titulus amittitur. Sic expresse Glossa communiter recepta in cap. unico, *Ne sede vacante*, verb. *Mortuo* in 6, ibi: « Mortuo idem est si quocunque alio modo vacet sedes, renuntiatione et depositione, vel quovis modo. » Pirrhing, *loc. cit.*, num. 1; Barbosa, *loc. cit.*, num. 5, et alii communiter.

(4. Item sedes vacant, si prælatus, seu episcopus sit notorie hæreticus. Sic declarasse sacram congregationem Concilii refert Fagnan., lib. III *Decretal.*, in cap. *Quia diversitatem* 5, De concessionibus præbend., num. 24. Nam proposito dubio: « An episcopo existente hæretico facultas concedendi dimissorias, juxta cap. 10, sess. 7, per-